



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

5 An materia consecranda necessario futura sit præsens ministro.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

institutionem diuinam mutaret, & euerteret, alias melius diceretur, in eo casu posse interpretari Pontificem, vt, si deficeret vinum vitis, conficeretur sanguis in vino pomorum, vel in aliquo simili liquore, quo homines talis prouincie vterentur loco vini, hic enim nunquam deest. Hæc namq[ue] interpretatio videri posset accommodatio, qua sic esset integra representatio sacrificij. Sicut ergo hoc dici non potest, quia est præter ritum à Christo institutum, ita etiam nec aliud. Quo circa maxime animaduertendum est, hoc præceptum non qualecunq[ue] esse, sed continens institutionem, & modum sacrificandi præscribens, cui intrinsece annexum est, vt si fieri non potest, sicut est prescriptum, potius omittatur, quam alio modo fiat: vt videre est in omnibus similibus præceptis tam nouæ legis, quam veteris, & ideo non habet solam vim præcepti affirmatiui taliter sacrificandi, sed in hoc includitur negatiuum, non faciendi aliter: sicut in præcepto orandi attendente, includitur negatiuum non orandi, si attentio adhibenda non est. Et confirmatur, quia si hoc præceptum solum esset interpretandum per modum affirmatiui præcepti, quod potest in vno tempore obligare & non in alio iuxta occasiones occurrentes, sequeretur non solum publica potestatis, sed etiam sola doctrina, vel scientia posse fieri interdum talem interpretationem, præsertim si nulla in hoc facta esset prohibitio, vt quædam ex argumentis in contrarium factis, consequenter loquendo probabiliter contendebant. Et posse facile aliis exemplis, & rationibus ostendi. Intelligendum est ergo hoc ius diuinum, tanquam instituens modum, & ritum sacrificandi Deo; sicut ius diuinum de consecrandis, verbi gratia, sacerdotibus legis nouæ, non solum continet præceptum, sed etiam instituit modum, & ritum consecrandi illos, qui vel seruandus est, vel si in casu aliquo seruari nõ potest, nõ propterea ritus alius introducendus est, sed potius ab huiusmodi actione est cessandum, & idem est in cæteris sacramentis: ergo & in ritu sacrificandi. Melius ergo explicatur hoc ius, vt habeat vim præcepti negatiui, in quo nõ tam facile locum habet dicta interpretatio, præsertim in his rebus, quæ ex institutione pendent, cum enim aliquid, quod ex se non habet aliud esse, nisi quod ab institutione accipit, diuino iure instituitur, vt tali modo fiat, hoc ipso prohibetur aliter fieri: quod si modo præscripto heri non possit, potius interpretandum est, cessandum esse ab huiusmodi actione, quam licere aliter facere, quam institutum est. Sicut, quia ritus Confirmandi, vel vngendi infirmos, iure diuino institutus est, vt fiat ex oleo consecrato seu benedicto, si casus occurrat, quo non possit heri vnctio oleo benedicto, seu communi, non possumus interpretari posse tunc illo modo fieri, cum nulla sit talis institutio, sed potius verissime interpretamur in huiusmodi euentu omittendam esse vnctionem, sic ergo in præsentia materia dicendum est.

Solutio rationu secundæ ad opinionis

Et ex his responsum fere est ad fundamenta contrariarum opinionum, exempla enim quædam, quæ afferbantur in secunda opinione ad probandum, posse Papam dispensare in iure diuino, partim incerta sunt, vt est illud de matrimonio rato, partim non sunt similia, vel non sunt proprie dispensationes in iure diuino, tollendo obligationem eius, sed versantur circa materiam eius, illam mutando, sicut in votum diuinum tantum est, vt, qui votum habet, illud impleat, & hoc semper manet integrum, tamẽ, quod ego habeam votum, non est ius diuinum, sed voluntate mea factum est, & in hoc proprie dispensat Pontifex, auferendo vel mutando votum. Et idem proportionaliter in matrimonio rato, quod quatenus humana voluntate contrahitur, dispensari vel dissolui potest. In aliis vero exemplis nulla omnino intercedit dispensatio, quia quando plures Ordinarij sacerdotes cum Episcopo consecrant, cum illo veluti

componunt vnum integrum ministrum vnus tantum sacrificij, quod ab omnibus conficitur, ad cuius perfectionem satis est, quod sub vtraq[ue] specie sumatur à ministro eius in vna tantum persona, quia ita omnes ministrant, vt quilibet eorum per se sufficiat, & sit veluti integer minister. Et multo minus intercedit dispensatio, quando in aliquo casu negatur alicui communicatio in articulo mortis: sed tunc ægrotus excusatur ab obligatione suscipiendi, & minister Ecclesie ab obligatione dandi propter occurrentes circumstantias, vtraq[ue] enim illa obligatio nascitur ex præcepto pure affirmatiuo, quod non pro semper obligat.

Adde deniq[ue] quomuis Papa possit dispensare aliquando in præcepto aliquo diuino, præcipiente solum, & obligante ad aliquem actum, non tamen potest immutare ius diuinum instituens ritum sacrificandi, vel conficiendi sacramentum, præsertim, substantialem & intrinsecum. Vnde nec in hoc potest dispensare, nisi vbi alias conserit; de ipso iure diuino factam esse aliquam exceptionem, vt de ministro Confirmationis suo loco dicitur. Institutio enim diuina, circa ministrum sacramenti Confirmationis, totum hoc continet, scilicet, vt ordinarius minister sit Episcopus: cuius loco possit substitui presbyter, quando Pontifex iudicauerit expedire, cuius signum est, quod id non fit per modum dispensationis: quia, si Papa vellet substituere diaconum, non posset. Ad exempla vero, quibus prima opinio utebatur, ex sacramento confessionis desumpta respondentur, non esse similia. Primum quidem, quia sacramentum Penitentia est maioris necessitatis, quam Eucharistia. Deinde, quia iure diuino solus formalis integritas est de necessitate sacramenti Penitentia, materialis vero solum, quatenus ad formalem necessariam est, similiter etiam satisfactio tunc solum necessaria est, quando æquitas iudicij illam postulat, nec alia ratio est de illius sacramenti integritate, tunc vero omitti non potest sine aliqua culpa.

SECTIO V.

Vtrum de necessitate huius sacramenti sit, vt materia consecrandi sit presens ministro.

QUÆSTIONEM hanc prætermisit hoc loco Diuus Thomas, forsalle quia ex cognitione formæ pendet, tamen, quia conditionem ex parte materiae necessariam inquirat, & eius cognitio ad sequentes quæstiones necessaria est, ideo breuiter est expedienda.

Primum igitur omnium certum est, in genere loquendo necessariam esse sensibilem presentiam huius materiae, ita docet Diuus Thomas in 4. dist. 11. qu. 2. art. 1. Durand. q. 6. nu. 6. Maior q. 2. Palud. q. 1. art. 3. Soto d. 9. q. 1. art. 2. Gabr. d. 35. in can. Ledesm. 1. part. 4. q. 15. art. 2. Victoria in Sum. n. 58. & omnes Summistæ. Ratio à priori est Christi institutio, quæ, præter traditionem Ecclesie, fundatur in verbis formæ, licet, quia illa pronomina, hoc, vel, hic, posita in forma, ex vi suæ significationis, designant rem presentem aliquo modo sensibus, quæ ratio supponit verba huius formæ proferri à Sacerdote formaliter, & significatiue, & non tantum materialiter accedendo, quod infra q. 78. probatum est. Dices, interdum per illas voces designari rem presentem intellectu, vel imaginationi tantum: Respondetur, quia Sacramenta sunt signa sensibilia, ideo non tantum intellectu, sed etiam aliquo modo sensibus significant, ac propterea huiusmodi termini, in formis Sacramentorum positi, indicant rem aliquo modo sensibilibiter presentem, vt patet in omnibus, quæ habent similes vel æquiuales terminos, vt baptizate, signo te, Per hanc sacram vnctionem. Ac deniq[ue] in solo matrimonio fit exceptio, quia nõ habet determinatam formam verborum, sed per modum cuiusdam contractus perficitur.

Confirmatio

ficitur, vt alias dicemus. Et confirmatur assertio posita ex vsu & traditione Ecclesie, in facto Christi fundata, ille enim circa materiam sibi presentem verba protulit, & hoc semper Ecclesia obseruauit. Et a posteriori tandem confirmatur, quia alias posset sacerdos consecrare totum panem, qui Romae existit, quod est absurdissimum. Congruentia denique addi potest, quia oportet, vt consecratio sit humano modo certa, & ideo opus est, vt feratur in materiam certam, de terminatam, ac presentem.

Ratio dubitandi

Difficultas vero est, quae, & qualis esse debeat haec presentia. Et ratio dubitandi est, quia presentia, vt nunc loquimur, dicit ordinem ad cognitionem, vel actiue, vel passiuie, sicut Deus dicitur esse praesens omnibus rebus, quia omnes intuetur, vt dicit D. Thom.

D. Thom.

7. part. q. 8. ar. 3. & e contrario, res dicuntur esse praesentes nobis, quia in conspectu nostro sunt, presentia ergo sensibilis dicitur ordinem ad cognitionem per sensum externum: at vero materia huius sacramenti non requirit huiusmodi presentiam, ergo non requirit presentiam sensibilem. Explicatur minor, quia potest consecrari materia, quae nullo sensu percipitur, vt caecus potest consecrare panem, etiam si non tangat vel olfaciat illum. Et similiter hostia aut vinum consecratur, vase cooperto, vbi nullo sensu percipiuntur, & idem est de vna formula, quae sub aliis existit. Aliunde vero non videtur aliqua sensibilis presentia sufficiens, nam licet panis visui percipiat, si tamen nimis distet, non poterit consecrari, & Soto censet distantiam ducentorum passuum nimiam esse: quia res ita distans non potest in rigore demonstrari pronomine primae personae, hoc, sed tertiae, illud. Et eadem ratione non satis est olfactus perceptio, quae a longa distantia provenire potest, & idem est de auditu, quamuis hic sensus vix possit presentiam tertiae accomodari, de tactu vero, & gustu, non est quod dicamus, quia perceptio istorum sensuum non est simpliciter necessaria, quia ergo regula vtendum erit ad definiendam hanc presentiam. Et augetur difficultas, quia ex verbis formae non potest certa regula praescribi, nam interdum rem satis distantem his vocibus designamus, vt, videntes a longe ciuitatem, dicimus, haec ciuitas est nobilissima, similiter de re in arca clausa, dici solet, hoc est argentum: quod si hoc satis est, possemus totum panem, in aliquo cubiculo clausum, illo pronomine designare, atque adeo consecrare. Idem est de re a tergo existente, imo de re seu persona, quae proxime antea hic aderat, iamque discessit, de qua per hos terminos in rigore loqui licet, hic est insignis medicus, vel aliquid huiusmodi. Sufficiens ergo omnes istiusmodi presentiae ad consecrationem, quibusue terminis claudenda est haec presentia? Hinc enim oriuntur illae curiosae quaestiones: an possit panis a tergo existens consecrari, an inclusus in arca vel cubiculo, an visus a longe, & similes, quae non facile possunt vna regula comprehendendi, quia res est moralis & incerta. Vt autem aliquo modo comprehendatur.

Aduertendum primo est, pronomen, hoc, simpliciter & substantiue dictum ex vi suae significationis maiorem presentiam requirere, quam cum alteri rei adiungitur, hoc constat ex vsu, & communis modo concipiendi, & in adductis exemplis id facile videre licet: & ratio adiungi potest, quia cum hoc pronomen adiectiue ponitur, per substantium definitur ad illam rem indicandam, & hoc ipso non requirit aliam presentiam, quam illa res habeat. At vero quando simpliciter, & substantiue dicitur, hoc, vel hic, est valde indifferens, & suspensa significatio, & ideo oportet, vt per ipsam rei presentiam definiatur, & vt quasi nubiis, vel signis ostendatur res, ad quam locutio dirigitur: & ideo in hoc genere loquendo, maior presentia requiritur, quam in alio, & ita fit in hoc sacramento, in cuius forma pronomen, hoc, simpliciter, & substantiue prolatum materiam designat. See Franc. Suarez. Tom. 3.

cundo, oportet aduertere, interdum per huiusmodi pronomina designari rem absentem, aut distantem, potius ex discursu intelligentis, & antecedentibus & consequentibus, quam ex vi verborum, quae designatio dici potest fieri potius ad intellectum, quam ad sensum, vt patet in exemplis supra positis, & signum huius rei esse potest, quod de huiusmodi rebus proprius & exactius loqueremur, per pronomina, quae non indicant presentiam, vt in exemplo posito de ciuitate a longe visa, proprie dicitur, illa est ciuitas, ad quam tendimus, vel quid simile. Interdum vero designatio fit per quandam metaphoram: vt quando, demonstrando domum, loquimur de habitatore, dicendo, vt bigratia, hunc hominem esse nobilissimum, vbi propria designatio facienda esset, per terminos absentiae potius, quam praesentiae. In hac ergo materia obseruandum est, vt proprietates formae seruari possint in omni rigore: & quoniam materia est valde moralis & mutabilis, & ideo saepe incerta, & ambigua, plurimum est obseruandus Ecclesiae vsus, seruata verborum proprietate, quam signum hoc requirit, praesertim in forma practica, & operatiua, quae maiorem presentiam materia postulat.

Prima ergo conditio huius presentiae esse videtur a. *Conditio.* vt materia sit aliquo modo coram homine, & non omnino a tergo, ita sentit D. Thom. supra, & sequuntur Palud. Soto, Victoria, & Ledesma, ac fere alij, vno excepto Maiore. Et primo haec sententia est consentanea vsui Ecclesiae. Secundo facit proprietatem verbi: quia res, quae nullo modo est coram homine, non potest commode, & proprie designari pronomine, hoc, praesertim simpliciter & substantiue prolato, vt constat ex communi modo concipiendi omnium: nam, si quis interdum aliter loquitur, vel improprie loqui censetur, vel non ex vi solius vocis: sed ex antecedentibus & consequentibus, ad rem talem sermonem dirigit. Dixi autem, vt aliquo modo sit coram homine, quia, licet non sit coram facie, si tamen digito, vel alio simili signo indicetur, videtur per illud fieri sufficienter praesens, & satis proprie designari pronomine, hoc, quia aliquo modo iam res illa est coram homine, quia homo ad illam ex parte se conuertit, quaequam res haec, vt minimum, sit valde dubia, quia designatio tunc non videtur fieri ex vi solius vocis, sed ratione alterius signi coniuncti, vnde grauius peccaret, qui contra vsum Ecclesiae hoc modo consecrare auderet, & se exponeret periculo nihil faciendi.

Secunda conditio est, vt non sit nimis distans, etiam si oculis videri possit. Hanc ponunt fere omnes a. *Conditio.* auctores, & praesertim explicat Durandus. Primo, quia res valde distans proprius designatur pronomine, illud, quam, hoc. Secundo, quia illa presentia magis est speculatiua, in ordine ad cognitionem, quam practica & in ordine ad operationem, qualis hic requiritur.

Sed quares primo, quantam oporteat esse hanc propinquitatem. Quidam aiunt necessarium esse, vt manibus teneatur, quia ita videtur Christus fecisse. Alii, quibus Paludanus consentire videtur, licet actualem tactum non exigant, dicunt tamen debere materiam esse ita propinquam, vt tangi possit. Alii, vt Viguerius, dicunt necesse esse, vt verba formae possint reuera peruenire vsque ad materiam, & illam contingere. Sed haec friuola sunt. Et in primis certum est ex vsu Ecclesiae, non esse necessarium, vt materia actu tangatur, seu in manibus habeatur. Consecramus enim formulas super altare existentes, quamuis in manibus non habeamus. Item verba formae hoc non requirunt, nec refert, quod Christus ad consecrandum accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, vt dicitur in Canone missae, & colligitur ex Euangelis: quia non oportet, vt omnes circumstantiae, quae in facto Christi acciderunt, sint essentiales

D. Thom.
Palud.
Soto.
Victoria.
Ledesma.

Durandus.

Dubius.
Palud.
Viguerius.

Solutio.



triales, vel simpliciter necessarii, vt per se constat: imo nec satis certum est, eo tempore, quo Christus protulit verba consecrationis, habuisse panem in manibus. Potuit enim prius accipere, & frangere, & postea in mensa coram discipulis ponere, dicens, Accipite & comedite, ac postea verba consecrationis proferre. Itaque, licet contrarium forte probabilius sit, non tamen propterea esset ad consecrandum necessarium, cum veritas materiae, aut formae id non requirat. Et eadem ratione non est necessarium materiam esse ita propinquam, vt à ministro tangi possit, cum neque ex significatione formae, neque ex alia probabili ratione id colligi valeat. Denique necesse non est, vt sonus perueniat, aut peruenire possit ad materiam. Primo, quia neque ex vi significationis verborum hoc est necessarium, vt constat: neque ob sacramentalem efficientiam, vt ex doctrina de sacramētis in genere suppono. Secundo, quia ex vſu Ecclesiae constat contrarium: alias si calix coopertus, vel forma sub aliis existens consecrarentur, vel si Sacerdos sub misse loqueretur, & materia aliquatulum, verbi gratia, per duos passus distaret, nihil fieret, quae plane sunt absurda. Quocirca nulla certa regula praescribi potest, quae hec propinquitas necessaria definiatur, vnde Durandus, Paludanus, & alij dicunt, solum Christum, qui hoc sacramentum instituit, posse huius praesentiae certum terminum designare: à nobis vero moraliter diiudicandum esse. Et ideo in praxi obseruandum est, vt pars secunda & certa semper eligatur, ita vt dubitari non possit, quin veritas, & proprietates formae retineatur, quod maxime fiet, vſum Ecclesiae seruando.

Dubium 2.

Secundo quaerit aliquis, vtum oporteat totā distantiam, quae inter materiam & ministrum esse potest, esse oculis peruiam, ita vt nullum corpus opacū interiectum sit. Et ratio dubitandi pro vtraque parte supra tacta est. Vnde vix potest etiam in hoc certa regula assignari, sed relinquendum est prudentis arbitrio, & diligenter cauendum, vt proprietates & veritates formae seruentur. Nam reuera non est simpliciter necessarium, vt tota distantia oculis pateat: quia non videtur dubium, quin panis vel vinum, vel lineo coopertum consecrari possit: quia hoc non tollit humanam praesentiam, & propriissime potest per illam vocem, hoc designari. seruata eius proprietate & significatione. Nihilominus tamen ex timore, consecrari non posse panem post parietem existentem, vt omnes auctores docent, quia reuera est humano modo absens: quapropter considerandum videtur, an corpus illud, quod interponitur, solum sit, veluti proximum continens, seu cooperiens materiam, quia tunc non videtur tollere sufficientem praesentiam, quia totum illud per modum vnus designatur: secus vero est, si abique villa huiusmodi habitudine interponatur: tunc enim propriam sententiam excludit.

Enodatur.

Dubium 3.

Tertio quaeri potest, an sufficiat, rem esse praesentem per aliquam partem sui, vt tota possit consecrari. Videtur enim hoc sufficere, cum talis res possit proprie pronomine, hoc designari. In contrarium vero est, quia, hoc admissio, potest aliquis simul consecrare infinitam (vt ita dicam) panis vel vini multitudinem, dummodo per superficiem, vel partem aliquam haberet illam praesentem, eo modo, quo est praesens mare, quando ex litore videtur. Respondetur, in vniuersum, seu physice loquendo, hoc non satis esse quia proprie, & in rigore non est mihi praesens totus aer, qui est vsq; ad caelum: nec tota aqua maris, etiamsi aliquam eius partem videam, quia licet in se corpus illud continuum sit, tamen in ordine ad humanam praesentiam id nihil refert. Vnde tota illa pars, quae eminens distat, ita est absens, ac si esset res per se separata. Oportet ergo, vt tota materia, secundum omnes partes consecrabilis, sit aliquo modo praesens & moraliter praesens. Vnde fit, esse valde probabile hanc distantiam vel praesentiam non esse aequalem in om-

Satis si dubio.

ni materia, sed debere esse iuxta proportionem & quantitatem magnitudinis eius. Et ideo difficile semper est certos terminos illius designare, sed ad rem morale non multum refert, quia nunquam res ad has angustias redigitur, sed maior est semper praesentia, quam in rigore necessaria sit.

SECTIO VI.

Vtrum oporteat materiam consecrandam esse certam & definitam.

Quaestio intelligitur de materia certa in individuo & particulari: haec autem certitudo seu definitio materiae ex intentione consecrantis sumenda est, cum enim materia sit panis & vinum, absolute explicare oportet, an necesse sit, consecrationem ex intentione ministri defini ad hunc panem, & hoc vinum, in quo refertur opinio Maioris, dist. 11. quaest. 2. negantis, ne. *Mater.* necessarium esse definitam materiam. Sed neque est opinio eius, neque alicuius potest esse.

Dicendum est ergo, vt consecratio fiat, necesse est esse materiam in particulari definitam per intentionem consecrantis. Ita docent Doctores omnes citati, & citandi. Ratio est, quia actiones circa particularia verificantur. Vnde, nisi in particulari definita materia, nihil est, quod consecrari possit. Confirmatur, quia intentio operantis debet esse practica, & operatiua: non erit autem huiusmodi, nisi versetur circa determinatam materiam. Confirmatur secundo, quia alias forma non significabit effectum, quia non demonstrabit materiam, quae consecratur. Tandem in aliis sacramentis quae consumuntur in vſu, quia circa subiectum sanctificandum versantur, necesse est subiectum esse certum, & definitum. Nam si quis intendat baptizare hominem, & non hunc hominem, nihil facit, ergo similiter, &c.

Ethinc sequitur primo, si quis habeat praesentes octo hostias, & intendat consecrare sex tantum, non determinando illas, sed in consilio, nihil efficere probatur, quia materia illa non est definita. Item, ille non consecrauit omnes, quia hoc non intendit: neque has potius, quam illas, quia non est maior ratio: ergo. Et ita docuit Maior supra, & Durand. dist. 11. qu. 7. Richard. dist. 10. artic. 7. q. 2. & omnes. Dices, posset minister remittere suam intentionem in intentionem Dei, vnde ex voluntate diuina, consecraret potius tunc has, quam illas: sic enim possum offerre sacrificium pro vna anima purgatorij, non determinando illam, sed voluntatem remittendo in electionem diuinam. Et confirmatur primo, quia hoc modo potest minister remittere suam intentionem in intentionem alterius hominis: vt si intendat consecrare, ex illis octo, sex, quas Petrus deseruierit, ergo similiter. Confirmatur secundo, quia, si in sacramento Penitentiae Sacerdos intendat absolueri, non ab omnibus peccatis, praesertim venialibus, sed à duobus tantum, quamuis illa in particulari non determinet, sacramentum tenebit. Respondetur ad argumentum, illum modum intentionis non esse accommodatum hominibus. Oportet enim expectare diuinam reuelationem, vt constaret, quae materia esset consecrata: & ideo illa intentio est imperinens & insufficientis. Neque est simile illud de sacrificio: tum, quia in eo opere Deus est, qui immediate operatur, & remittit penas: & ideo optime in eius voluntatem remittitur, vt id faciat, prout voluerit: at vero in praesenti, minister est, qui proxime operatur suis verbis, & ideo oportet, vt ipse sua intentione definiat materiam: tum etiam, quia ille effectus est mere spiritualis, quem non oportet esse notum hominibus, hic autem est constructio sensibilibus sacramenti ordinata ad vſum hominum. Vnde ad primam confirmationem respondetur: si intentio referatur in futuram determinationem